

387

385

391

De illis iam dictis vallis, et de torrente et fonte Siloe,
et de montibus paullo ante nominatis in sequentibus saepe
mentio fit. Ideo volui modicum praemittere pro faciliori intel-
lectu sequentium. Igitur cum ad ima vallis venissemus, trans-
sivimus torrentem per ipsum lapideum pontem, qui arcuoso
opere est factus, et ad radices montis Oliveti venimus, et
paululum ascendentes de torrente ad fontem draconis venimus,
de quo habetur Nehemiae 2. Ibi contuli cum dominis militibus
de diligentia Nehemiae, quomodo de captivitate de terra lon-
ginka in Jerusalem venit, et gyrans nocte civitatem vidit
ruinas ejus, stetique juxta puteum illum, et deliberavit, quo-
modo muros Jerusalem dejectos et turres collisos et portas
dissipatas et domos desolatas et templum combustum reae-
dificare posset cum licentia Artaxerxis regis. In quo facto
segnities principum nostrorum reprehenditur, qui nullam curam
habent pro recuperatione (143 A) civitatis sanctae, ac si non
esset necessaria. Quare autem cisterna illa dicatur fons dra-
conis, non memini me legisse; puto tamen, quod aquas olim
habuerit ex aliqua origine fluente, a qua per dracones vel
gurgites sint aquae in cisternam hanc inductae. Sic enim
regio Draconitidis dicta est ab eo, quia nullas aquas habet
nisi per dracones et per subterraneos meatus inductas.

De ecclesia sepulchri beatissimae Mariae Virginis in
valle Josaphat.

Adscendimus consequenter et ad latus sinistrum declina-
vimus ad ecclesiam sepulchri beatissimae Mariae Virginis, quae
profunde in terrae visceribus petris et rupibus est incisa.
Dicunt tamen aliqui, quod in exordio suae aedificationis non
fuerit sub terra, sed supra; et quod per inundationes aquarum
de monte Oliveti secum ducentium sit cooperta et propter
vallis repletionem. Porro, supra ingressum est quoddam
aedificium in modum capellae factum, et ante ostium est atrium
quadris marmoreis aedificatum. In hoc antrum descen-
dimus et contra introitum ecclesiae properavimus, cumque
ad ostium ecclesiae venissemus clausum invenimus, nec custo-
dem ecclesiae praesentem. Dicebant tamen nobis Sarraceni

Ende

Anfang